


DECRETA CONGREGATIONIS GENERALIS

XIII:



Vm R.P.N. Carolus Occafis Cō
de Noyelle die 12. gregationis:
Decembris 1686,
administratæ Socie-
tatis Anno Quinto
excessisset è viuis,
ex eiusdem nominatione renun-
ciatus est Vicarius Generalis, R.
P. Dominicus Maria de Marinis
Assistens Italiz. Hic verò de PP.
Assistentium consilio Congrega-
tionem Generalem indixit in diem
21. Iunij 1687. B. Aloysio Gonza-
ga Sacrum; quo ipso ex Prouin-

A cijs

De *Decreta Congregationis*
cijs Romæ adfuerunt omnes Eu-
ropæ Prouinciales , aut pro his
Vice Prouinciales, cæterique Ele-
tores omnes , datumque est po-
stridic principium Congregationi.

Dec. I. in MS. Act. 4.

*Electio Prä-
positi Gene-
ralis,*

Die 6. Iulij, quæ fuit Domini-
ca 7. à Pentecoste, obserua-
tis ritè omnibus , quæ Constitu-
tionibus, & formula Congregatio-
nis Generalis præscribuntur, plus
quam dimidia parte omnium suf-
fragiorum, Tertio Scrutinio, ele-
ctus est in Präpositum Generalem
R. P. Thrysus Gonzalez , Elector
Prouinciae Castellanæ : moxque
confectum , ac promulgatum est
à Patre Vicario super eà re decre-
tum ex præscripto formulæ.

Dec.

Cum quæsuisset Præpositus Generalis, num essent illico ad Congregationem vocandi, P. Ioannes Andreas Serra Procurator Generalis, & P. Iacobus Massius Secretarius Societatis, & quibusdam placuisset, illico vocandos esse, si illico de negotijs esset tractandum; secus verò, si ad electiones Secretarij Congregacionis, & Deputatorum illico esset procedendum, multò plures censuerunt, & formulæ Congregacionis Generalis, & Decreto II. Congregationis IV. conformius esse, eos ad omnia, adeoque etiam ad Electiones admitti, præterquam ad Electionem Assistantium.

Dec. III. in MS. Act. 8.

Die 13. Julij, qui erat postremus quatridui indicti acci-
A 2 pien- Electio Assi-
stantium, &
Admonitoris.

4 *De rebus Congregationis
piendis informationibus ad Ele-
ctionem Assistentium, & Admoni-
toris, plusquam dimidia parte
suffragiorū secretorum electi sunt
Assistentes, pro Italia P. Julius Bal-
bus Elector Prouinciae Mediola-
nensis, secundo Scutrinio : pro
Germania P. Eusebius Truchses
Rector Monachiensis secundo iti-
dem Scrutinio : At verò primo
Scrutinio reliqui, simulque in Af-
fidentium munere confirmati, P.
Paulus Fontanus pro Gallia, P. Pa-
scasius de Casa Nueua pro Hispa-
nia, P. Antonius de Rego pro Lu-
sitania, qui mox omnes ex præscri-
pto formulæ iuramentum præsti-
terunt.*

Simili forma deinde plus-
quam dimidiæ partis suffragijs se-
cretis electus est Admonitor P. Io-
sephus Fotius Vice Præpositus
Domus Professæ Romanæ secundo
Scrutinio.

Dec.

Dec. IV. in MS. Act. 5.33.34.

CVm Pater Alexander Ciceri Qui Procu-
 rator Proruinciarum, Pro-
 niciæ, etsi haud missus à Congre-
 gatione Proruinciarum plena , aut ab-
 breuiata, admissus esset in Con-
 gregationem ad omnia,ad quæ ad-
 missi erant P. Procurator Genera-
 lis, & P.Secretarius Societatis,id
 que saltem ex quadam æquitate, cijis missi
 commendata Patribus Deputatis non sint.
 ad Formulas quæstione de Iure ,
 horum iudicium secuta Congre-
 gatio statuit , ciusmodi Procura-
 tores Proruinciarum pari iure gau-
 dere,ac gaudent P.Procurator Ge-
 neralis , & P. Secretarius Societa-
 tis , si vel Vocati essent à Præposi-
 to Generali ad tractanda negotia ,
 vel missi à Provincialibus , cum
 approbatione Generalis saltem
 subsecuta missionem ipsorum; præ-
 cipue si ex Proruincijs extra Eu-

6 Decreta Congregationis
ropam sitis missi essent.

Cumque esset quæsitus, an
& sufficeret interuenire auctorita-
tem Vicarij Generalis, censuit
Congregatio, id sufficere cum re-
strictione ad Procuratores Pro-
vinciarum extra Europam ; acce-
dente etiam iuxta Regulam Vica-
rij 12. iudicio, & suffragatione PP.
Assistentium .

Decr. V. in MS. A. 7. 25. 26. 31.

An ijdem, &
Procurator
Gen. & Se-
cretarius
Soc. ius ha-
beant suffra-
gij passiui
in electione
Secretarij
Congr.

DVbitatum fuit, an Procura-
tores Generalis, & Prouin-
ciarum, & Secretarius Societatis,
de quibus §. 60. Formulæ Con-
gregationis Generalis, ius habe-
rent suffragij passiui in electione
Secretarij Congregationis, & So-
ciorum, atque etiam Deputato-
rum. Plurium PP. sententia fuit,
non habere. Cumque postridie
intercessum esset, resque mandata
examenti PP. Deputatorum ad Con-
gr.

stic.

stit. & Decreta , horum responso
audito, Congregationis pars inul-
to maior censuit , standum esse
Decreto .

Dec.VI. in MS. Act. 22.

Questum fuit , an Vice Pro-
uinciae ius habeant eligen-
di , & mittendi Procuratorem , qui
iure suo admitti debeat ad nego-
tia in Congregatione Generali , &
quomodo is sit eligendus . Hic
verò Patribus præluxit Canon . 14 .
Congregationis 111 ; quo statui-
tur , ut Procurator Sardiniae , quam
diu hæc erit Vice Prouincia , sine
Congregatione Prouinciali possit
venire ad Congregationem Gene-
ralem , & ad alia ius habere , præ-
terquam ad electionem Generalis ,
& Assistentium : eundem autem
Procuratorem eligendum à Vice
Prouinciali , & Consultoribus , ac
Professis 4 . Veterum , qui eo ins-

An. , & qui
Procurato-
res Vice ,
Prouinciaru
Ius habeant
ad negotia
in Congr.
Gen.

8. *Deereta Congregationis*
loco, vbi aderit Vice Prouincia-
lis, fuerint. Placuit verò Patribus
communiter omnibus, ius idem,
aut concessum declarari, aut am-
plicatione facta concedi omnibus
ViceProuincijs.

Dec. VII. MS. Act. 9. 13.

An Cappel-
lani Ord. S.
Ioannis Hiero-
solymita-
ni habeant
impedim. 3.
Exam. c. 2.

POstulata fuit declaratio De-
creti 129. Congregationis 1.
an eo prohiberentur FF. Cappel-
lani Ordinis S. Ioannis Hierosoly-
mitani in Societatem admitti.

Congregatio secuta iudicium
PP. Deputatorum ad huius rei
examen, censuit, illos verè esse
Clericos Religiosos, in Hispania
quidem alijsque locis, etiam Re-
gulari disciplina vtentes, & viuen-
tes communiter; in Meliteni verò
Insula, & alibi, etsi non viuerent
communiter, verè tamen esse eius-
dem Ordinis, iisdem Clericalis ha-
bitus insignibus vtentes; quare

ad

ad hos quoque pertinere impedimentum Tertium examinis Cap. 2.

Dec. VIII. in MS. Act. 13. 15. 17.

CVm postulatum esset, vt Congregatio Generalis Societati Vniuersitatem diem constitueret infra Octauam omnium Sanctorum, quo memoria celebraretur specialis Defunctorum in Societate, ac primum quidem minus id placuisse; facta dein intercessione argumentis per quam pijs, maior pars Congregationis decernendum iudicauit, ut per Societatem Vniuersam, quotannis commemoratio celebraretur omnium in Societate Defunctorum; adeoque eodie, qui à commemoratione omnium Fidelium Defunctorum primus occurseret non impeditus, Sacerdotes omnes Sacrum facerent paratu nigro, cæteri verò coronam, seu tertiam Rosarij partem.

Anniver-
sarium omniū
in Soc. De-
functorum.

20 *Deereta Congregationis*
recitarent pro ijsdem defunctis in
Societate.

Sacrum , &
Corona heb-
domadaria
pro defun-
ctis omni-
bus extra
Prouinciam

Hac occasione mota est quæ-
stio , an Sacrum hebbomadarium ,
& Corona Mariana Nostris indi-
cta à Congregatione 111. Dec.40.
pro ijs , qui in Societate moriun-
tur extra Prouinciam , persoluēn-
da essent pro omnibus extra Pro-
uinciam in Societate defunctis , an
pro ijs solis , qui quaque hebdo-
made proximè elapsa defuncti es-
sent . Placuit prope omnibus De-
cretum verbis non restrictum ac-
cipere indefinite , & suffragia illa-
destinanda esse ad leuamen om-
nium penitus extra Prouinciam
defunctorum in Societate .

Quomodo
ad Profess.4
Votorū pro
ponēdi , qui
compendio
studuerunt
Philosophic
& Theolog.
In seculo .

Dec. IX. in MS. AET.36.37.38.

CVm dubitatum esset , quo an-
no ad Professionem 4. Voto-
rum proponendi essent ; qui ante
ingressum Societatis solo biennio
Phi-

Philosophiæ studiisſent cum satisfactione; in ipsa verò Societate quadriennium Theologiæ impen-dissent: item quo anno, qui ante ingressum Societatis philosophiæ, ac Theologiæ studia cum satisfac-tione absoluissent, sed minori tempore, quam septennij; censuit Congregatio, priores quidem non nisi anno 15. currente proponen-dos esse, & catenus pressè inhæ-rendum esse Decreto 42. Congre-gationis IX. At verò posteriores, non nisi anno 11. aut 12. currente pro ratione annorum, qui triennio-Philosophiæ, aut quadriēnio Theo-logiæ defuissent: neque enim alio-qui satis saluari & equalitatem inter nos-tros ad Professionem 4. Votorum proponendos, quam Congregatio IX. Dec. 42. præfata es-se cupere induitam; etsi alioqui annum designauerit 10. currentem, quo ut plurimum contingit, eos proponi debere.

Decr.

Dec.X.in MS. Act.13.17.

Ordo inter
Professos
eodem die.

Postulata fuit generalis Regula
deferendæ Ordinis prærogatiuæ in comitijs nostris vni ex
duobus, qui Professionem 4. Votorum fecissent eadem die: audi-
tisque super ea re PP. Deputatis
ad Constitutiones, & Decreta,
placuit Congregationi dare hanc
Regulam ad similes eventus offe-
rendos in futurum dumtaxat.

Ex duobus, qui professionem
4. votorum fecerunt eodem die,
ei deferenda est prærogatiua, qui
prius expleuit annos Religionis
ad Professionem 4. Votorum re-
quisitos. Si ambo eos expleue-
rint eodem die, præferatur ille,
qui diutius in Societate vixit. Si
ambo ad Societatem, seu Tiroci-
nium venerint eodem die, præfe-
ratur maior natu. Si demum,
quod vix continget, ambo etiam
sint

sint nati eodem die, sorti res com-
mittatur à Prouinciali, ciuitate
Consultoribus.

Dec. XI. in MS. Aet. 14.

Questum fuit, an in casu Dec.
30. Congregationis XII. no-
minationes Superiorum à defun-
cto Generali factæ , & litteræ pa-
tentæ ad mutationem expeditæ,
ita amiserint robur suum, ut ne-
que post Congregationem Pro-
uinciaæ , neque post Congregatio-
nem Generalem , possint mandari
executioni. Facile conuenit, non
posse mandari executioni ante fi-
nem Congregationis Generalis ,
nisi ex huius consensu.

Sed & plurimum Patrum fuit
sententia , ne finita quidem Con-
gregatione Generali eas robur ha-
bere, sed implorandam esse auco-
ritatem noui Generalis ; qui sine
dubio hoc libenter esset datus

Nominatio
nes Superio
rum in casu
Dec. 30. Cō
gregat. XII.
simpliciter
irritæ.

De-

14 *Decreta Congregationis*
Decessori suo, ut eos, quos ille
nominasset, non facile respueret,
ac ne informationes quidem no-
uas requireret, nisi has requirendi
causæ occurrisserent nouæ.

Dec. XII, in MS. AET. 22r

Vice Pro-
uinciales
Professi 4.
Votorum.

Dubitatum fuit, an Vice Pro-
uinciales omnes esse oporten-
t Professos 4. Votorum. Con-
stabat ex Decreto 56. Congrega-
tionis IV. Vice Prouinciales in
Europa, Prouincialium demortuo-
rum munere fungentes, donec à
Generali prouideretur, debere esse
Professos 4. Votorum. Idem præ-
sens Congregatio declarandum
censuit de omnibus omnino Vice
Prouincialibus, atque eis in pri-
mis, qui Vice Prouinciarum stabi-
les Præsides essent.

Dec.

Dec. XIII. in MS. Act. 24. 25.

CVm essent generali Congre- Decreta gra-
gationi commemorata , & tiarum actio-
Augustissimi Imperatoris, & Sere- Augustissi-
nissimorum Regum immortalia mo Impera-
merita de Societate , omnium Pa- tori, & Sere-
trum, nemine discrepante, senten- nissimis Re-
tia suit, Societati vniuersæ in præ- gibus .
senti Cœtu congregatæ incumbe-
re gratiarum actionem prorsus sin-
gularem , scripta ad singulos epi-
stola Generalis Congregationis
nomine , ea significatione grati
animi , quam postularet tam exi-
mia summi fastigij Principum er-
ga Societatem clementia, benevol-
entia, & beneficentia, eiusque ob-
seruantiae demonstratione, quæ de-
beretur corundem Principum Ma-
iestati, Religioni, ac Pietati, qui-
bus Societati ipsi tanto essent præ-
ficio ad propagationem gloriae di-
uinæ .

Dec.

16 Decreta Congregationis

Dec. XIV. in MS. A.F. 24.

Decreta gratiarum actionis ac
Illustriss. ac Reu. D. Episcopo Mala-
citano.

Postulabatur quoque, ut quam-
inchoauerant variarum Pro-
uinciarum Praesides gratiarum
actionem Illustrissimo, ac Re-
uerendissimo Domino Antistiti
Malacitano. F. Idelfonso à S. Tho-
ma Ordinis S. Dominici, eam de-
nique Societas Vniuersa in gene-
rali Congregatione compleceret:
hoc enim prorsus esse meritum
Societatis Patronum tam singula-
rem; qui in sua ad Summum Pon-
tificem *Querimonia Catholica* cau-
sam suam cum causa Societatis
tam praeclarè coniunxisset, vt ad-
uersus eiusdem obtrectatores ni-
hil scribi posset efficacius. Ad hæc
nemo Patrum dubitauit, quin Il-
lustrissimo Antistiti essent agendæ
gratiæ amplissimæ, scripta ad ipsum
epistola Congregationis ipsius go-
mine.

Dec.

Decr. XV. in M.S. Act. 28.

Postulatum fuit à Prouincijs
duabus, vt Congregatio dis-
picere dignaretur de modis etiam
Iuculentius inflammandi Nostro-
rum animos ad studia Scripturæ
Sacré. Re diligenter excussa à
Patribus ad studia Deputatis, ho-
rum iudicium secuta Congregatio
censuit, nunc quidem non esse
maturum, vt vna quædam, & ge-
neralis ratio, in qua momentum
singulare esse possit, præscribatur
toti Societati; sed Præposito Ge-
nerali enixè commendandum, vt
cum otio dispiciat, quid cuiusque
Prouinciæ mores afferant ad rem
utile; tūm verò, & cum Prouin-
cialibus deliberet, quid his addi
conueniat, curetque in primis,
vt Sacré Scripturæ explanandæ
tales Magistri adhibeantur, qua-
les describuntur Regula s. Pro-

Studium
Scripturæ Sacré.

18 *Decreta Congregationis*
uinc. in Rat. Stud. vtque nostrō-
rum exercitationes Scholasticæ in
Sacris litteris iusta capiant incre-
menta; denique vt eruditio hæc
Sacra, quæ Societati semper sum-
mo in pretio fuit, eo apud omnes
esse loco pergit, quæmeretur,
vt Anima ipsa veræ Theologiæ
summèque necessaria ad ministe-
ria propria Societatis.

Decr. XVI. in M. S. Act. 26.

27. 31. 47.

Studium, &
examen do-
ctrinæ requi-
situm ad Sa-
cerdotium.

Congregatio declarans, & con-
firmanc Ordinationem P. N.
Eucardi Mercuriani Ord: Gen:
cap. 7. §. 4. censuit obseruanda
vbique esse sequentia.

I. Illi Nostri Scholastici, qui-
bus, vel ob defectum examinis,
vel ob alias causas, non licet in-
choare, vel vltra primum annum
prosequi cursum Theologiæ Scho-
lasticæ, non promoucantur ad Sa-
cer-

cerdotium, nisi in Schola quapiam Theologiæ moralis tam diù exercitati, donec saltem biennio (etiam longiori tempore vbi id mos Provinciæ tulerit) Theologiæ ex professo studuerint.

II. Sed neque hi, neque alij nostri ad Sacerdotium promoueantur, nisi saltem mediæ horæ spatio singuli fuerint examinati; idque à quatuor examinatoribus, quo ad fieri poterit, Theologiæ moralis benè peritis, & examinatorum saltem trium iudicio, quod scripto exhiberi oportebit, tantam habeant doctrinam, ut confessores fructuosè audire possint; in quo, grauiter oneratur examinatorum conscientia, vt in re magni momenti ad præcipuam functionem Societatis, & salutem animarum.

III. Si quæm contigerit, ex graui causa probata Præposito Generali, ad Sacerdotium promo-

20 Decrees Congregationis
ueri adhuc immaturum Tribunalis
Penitentiæ, is ad audiendas con-
fessiones non exponatur, nisi ex-
plete tempore ordinario in Scho-
la, & studijs Theologicis, ac dein
examinatus, & probatus, ut su-
pra.

IV. Qui verò ad Societatem
admittuntur Sacerdotes, hi prius-
quam exponantur ad audiendas
Confessiones, examen idem subite
teneantur; ijs solis exceptis, quos
Congregatio VII. Decr. 96. statuit
sine examine admittendos esse ad
Professionem quatuor votorum.

Deecr. XVII. in M.S. Att. 26.

27. 31. 47.

Collationes
casuum cō-
scientiæ.

MUltorum in Congregatione
Patrum fuit votum, ut col-
lationes casuum conscientiæ in
nostris Collegijs, & Domib[us]
quām utilissimè instituerentur.
Compertum verò est ipsa Regula
Pro-

Prouincialis 13, in Ratione studiorum omnia contineri, quæ ad plenum vigorem illarum collationum facere possunt; sèu frequētiā collationum spectemus, sèu collationum Præsidem, sèu modum ab ipso in ijsdem tenendum. (illum scilicet ipsum, qui Professori casuum conscientiæ suis Regulis 7. 8. 9. 10. præscribitur) sèu dehique personas, quas interuenire oportet; qua parte Regulam declarauit Congregatio IX. Decreto 8. Ita ut nihil meritò desiderari possit præter efficacem executionem. De hac igitur locorum Superiores Prouincialibus tempore Visitationum, atque hi Præposito Generali rationem reddere teneantur, quoties de suis visitationibus ex officio scribent; Sed, & Consultoribus ineumbat de hac ipsa executione informaciones mittere statis scribendi temporibus, non solum ad Prop.

22 Decreta Congregationis
uinciales, sed etiam ad Genera-
lem.

Decr. XVIII. in M.S. Act. 45.
46. 47. 48.

Doctrinade
vſu proba-
bilis opinio-
nis.

CVM relatum fuisset ad Con-
gregationem, aliquos in ea
eſte persuasione, quod Societas
communibus quasi studijs tuen-
dam ſibi ſumppſiſſet eorum Docto-
rum ſententiam, qui cenſent, in-
agendo licitum eſte ſequi opinio-
nem minus probabilem fauentem
libertati, relictā probabiliore,
ſtante pro præcepto, declaran-
dūm censuit Congregatio, Socie-
tatem, nec prohibuiſſe, nec pro-
hibere, quo minus contrariam
ſententiam tueri poſſent, quibus
ea magis probaretur.

Decr.

Decr. XIX. in M.S. Act. 16.

19. 20. 43.

CVM rogata esset Congrega-
tio , vt formulas scribi iube-
ret, iuramenti , quod Congrega-
tio XII. Dec. 24. præstare eos ius-
sit , qui iudicaturi essent de excel-
lentia talenti gubernandi , con-
cionandi &c. quod supplere posset
defectum doctrinæ requisitæ ad
Professionem quatuor votorum ,
re commendata Patribus ad studia
deputatis, multò maiori parti Con-
gregationis placuit gemina formu-
la ab illis concepta .

Formulæ
iuramenti de
talento, gu-
bernandi, &
concionan-
di .

Prima quidem de talento gu-
bernandi hæc ipsa .

Ego N.N. testem iuuocans
Deum , censeo Patrem N.N. adeo
excellens in concionando talen-
tum habere , vt in quibuscumque
præcipuis Ecclesijs communi ha-
rum Regionum idiomate vtenti-

24 Decreta Congregationis
bus, videatur posse multa cum
laude, & fructu concionari.

Altera de talento gubernan-
di his verbis.

Ego N.N. testem inuocans
Deum, censeo Patrem N.N. tam
infigni gubernandi talento prædi-
tum esse, ut cum plena satisfactio-
ne possit regere maiora Collegia,
atque etiam aliquando vniuersam
Prouinciam.

Porrò, & censuit maior Con-
probationes gregationis pars, probationes il-
talentorum. Iorum talentorum oportere esse
experimenta ipsa, & specimen
concionandi, & gubernandi; ca-
que non vulgaria, neque modici
temporis; dilata etiam ad eum
finem Professione; si id opus
esset.

Decr.

Decr. XX. in M. S. Act. 14.

QVæstum fuit, an si litteræ Declaratio
admissionis ad gradum se- Dec. 9. Con.
rius afferantur in Prouin- greg. XII.
ciam, quam ut designato commu-
niter die promoueri possit, qui
admittitur, liceat Provinciali ex
Decreto 9. Congregationis XII.
alium designare dicim, quem iudi-
cauerit proximè opportunum. Ita
censuit Congregatio; cum nulla
interuenerit culpa promouendi,
et si forte interuenerit obliuio,
aut incutia aliorum; neque pre-
ter hæc alia graui causa censuit eis
se opus.

Decr. XXI. in M. S. Act. 31.

QUONIAM Decreto 33. Con- Declaratio
gregationis XII. statutum Dec. 33. Cō-
est, ut designatus à Præ- greg. XII.
posito Generali nouus Prouincia-
lis

lis succedat antiquo , si litteræ
quibus designatus est , missæ sint
ante indictam Congregationem
Generalem , et si non nisi post in-
dictionem illam peruererint in
Prouinciam , postulatum fuit , ut
declararet Congregatio , Decre-
tum esse accipiendum subintelle-
cta conditione , quæ adiecta est
Decreto 30. eiusdem Congrega-
tionis ; nisi ante indictam Congre-
gationem antiquus Provincialis
triennium non expleuisset , & con-
staret Generalem non voluisse il-
lum , ante tempus exauktorare .
Hoc ipsum Congregatio maioris
claritatis gratia declarandum cen-
suit , ac declarat præsenti De-
creto .

Decr. XXII. in M.S. Act. 31. 21.

CVM obscurior quibusdam videretur. §. 71. formulæ Congregationis Gener. permisit Congregatio, ut in proxima editione locus hic; Definitores verò ad celeriorem negotiorum expeditiōnem, ad plura medietate Suffragia, si augetetur: Definitores verò ad celeriorem negotiorum expeditionem, an eligendi sint, ad plura medietate suffragia statuatur.

Ad §. 28. formulæ Congregationis Prouincialis vbi sexto cæterisque scrutinijs iabetur electio fieri ex ijs tribus solis, qui plura alijs suffragia habuerunt, quæsum fuit, an eo casu esset habenda ratio solius proximi scrutinij. Congregatio secuta iudicium PP. Deputatorum ad formulas censuit, habendam rationem solius scrutinij proximi; idque par

Declaratio
formulæ
Congregat.
Gen. §. 71.

Declaratio
formulæ
Congregat.
Prouinc. in
§. 28.

ratio-

28 Decreta Congregationis
ratione, ac in electione Assisten-
tium, §. 84. Formul. Congregatio-
nis Gener. Adeoque dicto §. 28.
ad hæc verba; *Qui plura alijs suf-
fragia habuerunt*, addendum esse
in proximo scrutinio.

Declaratio
form. Cong.
Prouincialis
§. 41;

Ad §. 41. Formulæ Congre-
gationis Prouincialis cum dubita-
tum esset, an Prouinciali se excusante,
ne ad Congregationem Ge-
neralem proficisceretur, ab ea de-
liberatione abesse deberet, non
solum Prouincialis, & primus
Substitutus, sed etiam duo priori
loco electi, sive ille ternarius, ex
quo Prouincialis sibi substituere
debet Vice Prouincialem. Plu-
rium sententia obtinuit, §. 41. for-
mulæ, seu Decreto 52. Congre-
gationis VIII. esse conformius, ut
cum Prouinciali solum excludatur
primo loco substitutus.

Decr.

Decret. XXIII. in M. S.
Act. 31.

CVM rogata esset Congrega- In Congreg: Prou. Secre: tio, ut declararet in Con- tario impe- gregatione. Prouinciali partes Se- dito quis cretarij impediti suscipiendas es- se ab eo, qui per electionem ipsi acta scribat, est adiunctus; tum vero ut defini- actisq; sub- ret à quo subscribendum esset Ac- scribat.

tis Congregationis couentu. Nullum fuit dubium, quin partes Secretarij impediti suscipere de- beret adiunctus. Censuit verò Congregatio, pertinere ad Secretarium actis subscribere, si ad Congregationem redierit in tempo- re, ut postremæ reelectioni, & ap- probationi omnium Actorum in- terfuerit; quod si secus accide- rit, Actis subscribere debere Se-

cre-


30 Decreta Congregationis
cretario Adiunctum , ad nomen
proprium , addito nomine officij ,
Prosecretarins.

L A V S D E O .



Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patr.
Mag. Sac. Apost. Pal.

S.I. Menat. Ep. Cyr. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Ioseph Clarionus Sacrae Theologie Magi-
ster, ac Reuerendiss. Pat. Fr. Dominici Mariæ
Puteobonelli S. P. Apostolici Magister Soc.
Ord. Præd.

R O M A E,

Ex Typographia Iacobi Antonij de Lazzaris
Varesij.

M. D C. LXXXVIII.

Superiorum permisso,

